INSCRITTIONE CHE ERA POSTA intorno del letto d'oro fatto in mezo del Catafalco.

D. O. M.

CADENTIS HOMINVM FORTVNAE SAEVITIA
CAROLO HISPANIARVM PRINCIPI
CHRISTIANISSIMO.
VICTORIOSISS. ET CATHOL. PHILIPPI REG. FIL.
DIV. CAROLI ET FERDINAN. CAESS. NEP. DIVI
PHILIPPI HISPAN. REG. PRONEP. DIVI
MAXIMIL. CAES. ADNEP.
IMMATVRE IN MEDIO SVI ORIENTIS
LIMINE EXTINCTO.

GABRIEL A CVEVA ALBVRQ. DVX
INSVBRICAE PROVINCIAE
PRAEFECTVS
AD MORTIS MOESTITIAM TANTI SVI PII
PRINCIPIS DECLARANDAM
SPEMQ. AVREI FVTVRI SACVLI EVERSAM
NON SINE LACHRIMIS MOERENS
POSVIT.

M. D. LXVIII.

HIERONYMI MONTII

IVRECONSVLTI MEDIOLANENSIS

AC REGII SENATORIS

ORATIO

HABITA MEDIOLANI.

IN FVNERE SERENISS. CAROLI AVSTRII,

HISPANIARVM PRINCIPIS

IN AEDE MAXIMA.



QVAR. IDVS OCTOBRIS.

M. D. LXVIII.

ADDITA SVNT ORATIONI STVDIOsorum aliquot Virorum Carmina, post eam habitam composita, Eiusdem Principis mortem deplorantium.

ILLVSTRISS. ATQVE EXCELLENTISS.
DON GABRIELI A, CVEVA,
DVCI ALBVRQVERQVENSIVM.
AC PRINCIPI OPTIMO.
HIERONYMVS MONTIVS.



VSSISTI ut in hoc ferali luctu, atq; hisce exequijs, tanta cum moeroris significatione celebratis, ego funebrem Orationem, tanti doloris testem, haberem, Iußisti etiam, ut ea, quæ audiueras, scriptis mandarẽ, & ad te mitterẽ; Vtrumq; ut mandatis tuis parerem, præstiti, dispari tamen conditione, quoniam, qui, ea, quæ festinata quadam opera in unum congeßit, (ut hæc sunt) tantum enuntiat, habet in quo fallere poßit auditorem, dum, uel ob uocis claritatem, aut suauitatem, uel ob actionis lenocinium, illa quæ tenuia sunt, aliquid uidentur esse; At lectio, adhibita longioris moræ cogitatione, quicquid parum recte, scriptum, Compositumue, fuerit, agnoscit; ac omnes næuos in oratione deprændit, Qua in re, & maior ingenij alea subiri, & maior existimationis (si qua subest) iactura, fieri potest, ut cumq; res cedat, mihi sat erit, tuæ auctoritati parere, & mea qualiacunq; scripta, prudentißimo Iudicio tuo supponere: Primum ut Excellentia tua, deinde Cæteri omnes, deuotum meum animum, promptamq; uoluntatem, et incredibilem obseruantiam, erga eam, cognoscant, quam Deus, Optimus, Maximus, diu incolumen seruare, ac in dies, magisq; fortunare uelit. Mediolani sexto Calen. Nouembris. M. D. LXVIII.

HIERONYMI MONTII ORATIO.

HABITA IN FVNERE SERENISSIMI CAROLI HISPANIARVM PRINCIPIS.



I quot mihi accerbißimi luctus causæ, in funere, CAROLI AVSTRII, Hispaniarũ Principis, nunc se se efferunt, tantum etiam in dicendo facultatis, ac uiriũ, suppeteret, ut eas enumerare, ac copiosius pro rei dignitate explicare possem, profecto, nihil moestius, nihil lugubrius, aut miserius, non solum huic frequentißime concioni, sed toti plane huic Ciuitati, atq; uniuersæ Mediolanensi ditioni, ipsis deniq; Hispanijs, hoc tempore, contingere potuisse ostenderem; Casumq; hunc, talem ac tantum extitisse, ut nullus, desiderio, doloriq;, modus, aut finis, imponi posse uideatur.

Nam quis conceptum ex tam tristi nuntio mœrorem tuum, Don Gabriel a Cueua, Dux Alburquerquensium Illustrißime, atq; Excellentißime, huius Mediolanensis dominij, moderator Integerrime, ac sapientißime, satis digne expresserit? quem non solum CAROLI AVSTRII mors, quẽ tantopere obseruare, & colere consueuisti, sed etiam Philippi patris Sũmus dolor, tibi cognitus, sic affecerunt ut quam, nuper in unius filij tui obitu. admirabilem animi firmitatem constantiamq; presliteras, eam, audita Caroli morte, Seruare retinereq; non potueris, sed debilitato animo, Secretos recessus, ac solitudines quærens, per multos dies conspectum hominum uitaueris, & quasi lucis Impatiens, in Intimis Aulæ tuæ penetralibus te abdideris, nequa usquam in parte læti quicq̃ tibi posset occurrere, neue consolationis uox illa exaudiri, adeo ut nisi tua illa incredibilis prudentia, atq; nigens preclarissimi tui muneris obeundi cura, paulum a mærore te reuocasset, & a solitudine abstraxisset, ueritisimus, nẽ diutius uitam acer-

bam luctuosamq; duceres.

Etenim commune quoddam parentum uotum, ac certa naturæ lex, esse uidetur; ut filij patribus superstites esse debeant, quo fatigatis præsto sint, & ea quæ debent pietatis offitia persoluant; secundum naturam (Inquit Cicero) est, Senibus, emori, adolescentibus, aduersante, ac repugnante natura, At hic turbato, peruersoq; naturæ ordine, creptus ante diem Philippo patri est filius, Proh dolor, ante parentis oculos, filij funus ducitur, Pater Superstes, sibi præreptam spem, sibi ademptum successorem, sibi in ipso ætatis flore, extinctum filium, inspicit.

Quo tam miserabili casu, com moti, uos, Viri & Proceres præclarißimi, ad cohonestandas hasce exequias, atq; ad hunc Supremũ honorem, amatißimo Regis nostri filio tribuendum, tam frequẽtes, quot numq̃ antea, in hanc amplißimam Basilicam, atrati omnes, cum toga pulla, aduenistis, ut comunem hunc mœrorem uestrum regia Maiestas agnoscat.

Quod si ex eo hominũ genere is sit, quem talia premunt infortunia, cui modica sit suppellex, cui tenue, ac pusillum, restet patrimonium, quo defuncto omnis memoria simul cum uita aboleatur, hic non magnam iacturam, ex filij morte, sequi existimandum est, non magnum damnum, patri euenisse, est dicendum; si illis, quas non habet, facultatibus, hæredem, aut successorem, nullum relinquat; At ei qui amplißimas potestates, qui tot regna, ac magna Imperia post se dimittat, cui in posteros tot ditiones transmittere expedit, quid grauius contingere potest, quam, si hærede proximiore, si legitimo successore, priuatus repente remaneat? Neq; enim defuere, qui Regum ac Principum conditionem fluminum Instar esse uoluerint, quæ, subsequens, ac numquàm deficiens unda, perrennia facit, ac perpetuo fluere, ijdemq; magis in rem atq; utilitatem subditorum, esse affirmarunt, Regem ex succeßione habere, quàm per electionem.

Atq;, ut, dum Regio apparatu, de more, tam Magnifice Iusta persoluuntur, etiam hoc laudationis munus, qua fieri per me poterit diligentia, Impleatur, Tria mihi dicenda proposui, quibus obsolutis

lutis, triste hoc omne mihi demandatum ministerium, peregisse me existimabo.

Dicam enim, quo in loco natus, Carolus Austrius fuerit, Deinde, quo ortus genere, Mox, quo preditus ingenio, ac uirtute, qua Institutus disciplina, si diutius uixisset, ad tot regna, atq; imperia administranda, peruenisset.

Ac primum, Natale illi solum contigit, in celeberrimo Vallis soleti, ulterioris Hispaniæ, oppido; septimo Idus Iulÿ, anno a salutis nostræ exordio, millesimo, supra quingentesimum ac quadragessimum quintum.

Secundum uero, quo Amplius ac præstantius est, quo uberius argumentum suggerit, eo mihi difficilius uidetur, quoniam, quo plura de illius stemmate, ac generis nobilitate dicere uoluero, eo me maior rerum copia obruet, in qua, nec modus in dicendo, adhiberi, nec finis facile inueniri potest, Nam si (ut Xenophon inquit) neq; maius, neq; pulchrius, quicquàm dici potest, quàm quòd quis ex Regibus natus sit, & Rex ipse sit, quid de Carolo Austrio dicemus? quem sex continua summorum Imperatorum series exornat; Nam & Maximilianum patruelem, & Ferdinandum patruum magnum, & illum, numquàm satis laudatum Carolũ Quintũ, Auum, nostra ætas uidit florentissimos; Maximilianũ uero Abauum sunt etiam qui cognouerint, & magnis in cælum laudibus efferant; Federicum porro Tertium Atauum quietissime annis quinquaginta quatuor Imperasse legimus, non tam fato quodam quàm ob summam eius prudentiam, ob quam etiã summis Põtificibus gratus, acceptusq; fuit; Albertum uero Austriæ Ducem, & Imperatorem, si non statim supra Atauum, at inter eius maiores connumerabimus, Quod si ommissa paulisper Imperatorem serie, summos Austriacæ stirpis Viros, ac Principes supra Federicum Tertium recensere uoluerimus, Ernestũ; Leupoldum; Albertum sapientem, atq; Albertum sapientis patrem, Rodulfumq; Ausburgensem, Alberti illius quem nuper retulimus patrem huius gentis authorem inueniemus, qui post longum a Federici secundi morte inter regnum, decem et octo an-

nis impetrauit, A quo, ceu comuni quodam parente, centum ac ſex poſteri connumerantur, ad eo ut ſi tam amplæ poſteritatis, & titulos, & præclara, ac fortiter geſta, domi foriſq; dicenda mihi eſſent, dies me citius deficeret, Illudq; eueniret, quod his contingere ſolet, qui dum totum orbem in breui & anguſta tabula deſcribere conantur, ut ſpectantium oculis rem omnem ſtatim ſubijciant, id aſſequuntur, ut nec locorum magnitudo, nec terrarum ſpatià, atq; amplitudo, in ea dignoſci poſſit, & multum rei dignitati detrahatur, ſic etiam fiet, ut ſi ego breuior eſſe uoluero, obſcurus fiam, nec ſatis quod ſuſcepi munus impleam, ut ſcilicet uos in eam rerum admirationem traham, quam et res ipſa poſtulat, & hoc quod agimus requirit, Itaq; ſatis ſit mihi, uos ad ampliſſimos hiſtoriarum libros, a diſertiſſimis hominibus conſcriptos relegaſſe, in quibus huius gentis amplitudinem, numeroſitatem, ac diuinam quandam uirtutem, plenius cognoſcere, perſpicere ac intueri licebit.

Admonet me paternæ, atq; a uitæ claritatis ac amplitudinis commemoratio, ut nec decus, aut nobilitatem, quæ ex Auiæ paternæ ſplendore illi obuenit ſilentio prætercam, Sed quis audito Iſabellæ, ac Ferdinandi, Caſtulonis & Aragoniæ Regum, nomine, non ſtatim ſibi in animum inducat? bella aduerſus Mauros geſta, ac commiſſa multo cum ſanguine prælia, Liberatas a Saracenica, & aphricana rabie ac impietate, Hiſpanias ante oculos ponat? Quis non impoſibilia me captare affirmet? ſi uelim in hoc præſcripto mihi ad dicendum tempore. atq; in his anguſtijs, tot caſus tot geſta, tam generoſe, tam ſapienter tam fœliciter comprændere; Ab ea ſcilicet Iſabella, ac Ferdinando, progenita eſt Ioanna filia, Sereniſſimo poſtea Philippo Auſtrio matrimonio coniuncta, Ex qua deinde, Maximus ille Carolus Quintus, huius Caroli quem lugemus Auus, eſt procreatus.

Neminem uero hoc loco futurum arbitror, qui id a me nunc iure requirat, ut hac mea oratione enarrare uelim, quantus Carolo Auſtrio fulgor, quanta Maieſtas acceſſerit, quod illi, & Carolum Quintum, Maximum Imperatorem, Auum; et eius filium,

Philip-

Philippum Austrium, maximum Regem, patrem habere contigerit; & summas illorum uirtutes, illorum præclara insignia, ac Illustria gesta referre, Quando & ea adeo recentia sunt, & tot testes uiuos, presentes, habeant, ut omne meum de illis testimoniũ superfluum sit futurum, quæ uno omnium populorum, nationumq;, ac prouinciarum consensu, unaq; omnium uoce celebrentur, Quo fit, ut propter tantam illorum magnitudinem, atq; amplitudinem, omnis mea, ieiuna, tenuis, arida, merito unicuiq; uideri debeat oratio; & non secus sit, ac si, (quod dicitur) soli lumen inserre conarer.

Maternum uero genus, Carolus, ab Nobilißimis Lusitanorum Regibus ducit, quorum non tam ampla, ac spatiosa regna, quàm summam uirtutem, summam in naualibus bellis fœlicitatem diligentißimi rerum gestarum scriptores laudant, extollunt, admirantur, qui non hoc orbe contenti, Antarticha plaga explorata, atq; adita, in Æthiopico littore, populos subegerunt, in Caramania, atq; India, deuictis Regibus, occupatis celeberrimis Emporijs, sedes arcesq; extruxerunt, ualidisq; præsidijs firmarunt, mox fœlici nauigatione usi, ad auream usq; chersonessum penetrarunt, in qua Regem Malachæ, armis uictum superatumq; tributarium fecerunt; eoq; ualido robore, ac præstanti uirtute, noua regna assequuti, & adepti sunt, ut in illa christianæ Religionis cultum transferrent, & Deo, Optimo, Maximo, tot animas deuotas redderent, quot disertæ illæ Lusitanorum Patrũ litteræ, iam uulgatæ, ac prælis excussæ, legentibus copiosisßime explicant, & ostendunt; Tanto maiora opera, ac præstantiora, quãto laudabilius est, non pro suis tantum commodis, uitam ac sanguinem effudisse, quàm pro christianæ fidei propagatione, & amplitudine. Hic igitur Carolus defunctus ex Maria Iohannis tertij Lusitani Regis filia, in lucem prodijt, & Auum maternũ Regem habuit, natum, et ipsum ex Catherina Caroli Quinti sorore, & pro auum, Iohannem Emanuelem pariter lusitaniæ Regem, Quorum omnium uirtus, splendor, ac Maiestas, ita me in eorum admirationem rapit, ut uerear ne si in recesendis rebus

ab eis

ab eis præclare fortiterq; gestis, immorari incipiam, ita in altũ, ueluti secundis uentis actus ferar, ut non facile uela contrahere, ac quoties uoluero portum repetere postea possim, paucaq; potius dixisse malo, q̃ reliquorum quæ dicenda supersunt, his immorando, cursum retardasse.

Tertium uero, quòd propius ad ipsius Nobilissimi Principis naturam, ac uirtutem accedit, quòdq; etiam magis propriũ eius esse dicitur, nunc me uocat, atq; ut me totum in eius laudũ cõmemorationem accendit, ita pariter amissi Principis dolorem renouat, cum scilicet tot in eo uirtutũ semina apparuisse considero, nam cum ea quæ animi bona dicuntur, præstantiora sint, corporis uirtutibus, non aliunde melius, quàm ab ea, quæ omniũ uirtutum fundamentũ est, & caput, exordium capiam, Ab ipsa scilicet Religione, & diuini cultus obseruantia. Nam quis hoc Principe Religiosior est uisus? facit enim interdum summa dignitas, ac potestas, ut uulgatum illud inter parũ iustos Principes, Quicquidlibet liceat, in usu maxime sit utq; homines qui a natura à labore, magnis proni ac procliues ad uoluptates sunt, in maximã dicendi, ac fatiendi libertatem sæpe labantur, sacras interdum iussiones, ac sanctissima præcepta transgrediantur, Quod neutiq̃ fecisse Carolum Austrium cognouimus, Nam neq; quottidiana sacra intermittere, etiã puer, umq̃ uoluit, & quottidianas preces, quas etiam religiosi Monachi singulis diebus enuntiant, postquàm semel recitare instituit, numquàm postea intermisit. Res efferuescente iuuenilis ætatis calore, in Principe maxima commendatione digna, ita uero pauperum semper est misertus, ita eorum inopiæ subuenire assidue curauit, ut nihil maiori curæ illi esse uideretur, quàm indigentibus succurrere, atq; omni ope illorum miseriam subleuare.

Verum cum a Religione discessi tum iustitiæ cultus succedit, nam animum ita a natura institutũ habuisse cum accepimus, ut nullus, nec priuatusquidem, obseruantior legis extitisse uideatur, cũ & iniurias arcere, & ne quid a quoquàm ui aufferretur prohibere, adeo sanctum ac pium existimaret, ut quoties, raptorem,

latro-

latronem,furem,aut ſceleſtum aliquem,caſu,iuſtitiæ manus euaſiſſe, ac non meritas pænas dediſſe intelligeret, uehementer commoueretur,tantũ in illius mente colendæ iuſtitiæ ſtudiũ inſederat.

Conſtantiam plane animi,tantam in eo uiguiſſe referunt, qui Principis huius, mentem,factaq;, optime nouerunt, ut maior deſiderari non poſſet, neq; enim caſus, aut pericula; timido, & fracto animo expauit, & ſi quando, ꝙ animoſis iuuenibus, arma, & equos tractantibus contingit, ut uel corpus, aut membrum læderetur, non ideo tamen, timere, aut animo conſternari ſolebat, ſed intrepide, ac generoſe, omnia perferre conſueuit, Tenacitatem uero propoſiti, ac firmam fidem, in nullo magis immutabilẽ extitiſſe, cognitum eſt, neq; enim, quod ſemel pollicitus eſt, facere diſtulit, inconſtantes uero ac uarios, dubiæ fidei, ac fœdifragos, longe ab ſe ſe ſemper reiecit.

Et quoniam,uenationem, rerum militarium ueriſſimam eſſe meditationem, dici ſæpiſſime audierat, ita ſe in ea exercuit, ut in fericudis, uel arcu, uel iaculo,feris, magnam nauaret operã, idq; & pedes, & Eques, adeo ut corpus laboris, atq; operis patientiſſimum redderet, Cyri illius perſarum Regis tantopere laudati, exemplum ſequutus.

In ipſa,plane liberalitatis uirtute, quæ, una cum clementia,Principes (ut ſapientiſſimi uiri teſtantur) pene dijs æquat immortalibus, uſq; adeo excelluit, ut licet, filiusfamilias, præſcriptos haberet reditus,quos expenderet,non tamen illis contentus, plura ſemper erogaret, & largiretur, quàm illi ex prefinita ſumma concederetur, ratus, quòd uere litteris mandatum eſt, liberalitatem in Principibus non poſſe modũ excedere, Neq; beneficentiam ſuam in moriones, paraſitos, aut aſſentatores, exercere uoluit, ſed in uiros fortes, emeritos milites, arte aliqua, uel uirtute præſtantes,uel eos quos ſumma egeſtate uere premi intellexiſſet,neq; enim beneficia illa liberaliſq; natura, finibus aliquibus coherceri, reſtringiq; poterat, quin iuuaret, quin prodeſſet, quin indigentibus opem ferret, Neq; in ipſa tantum pecuniarum utili traditione; liberalitatem, & beneficentiam ipſam,exercuit,ſed in cohone-

hone-

honestandis his quos uirtutis causa amare ceperat, opera, consilio, auctoritate. in id precipue intentus, ut, uel ad magistratus alicuius administrationem promouerentur, uel ut honorem, dignitatemue aliquam, consequerentur, nullamq; maiorem, q̃ ex dandi, beneq; fatiendi conscientia, uoluptatem capiebat, huius ego Principis eximiam liberalitatem, cum antiquorũ Regum atq; Imperatorum, munificentiã legerem, non habui cui magis quàm Alexandri Seueri Imperatoris benignitati comparerẽ, qui largiter donasse non contentus, timidius, & ne nimis molesti essent, frigide postulantes, ultro ad petendũ inuitabat, atq; hortabatur.

Prudentiam hoc loco, ac sapientiam a natura insitã recensere possunt, qui sepe multa ex dictis factiue eius, non parum admirati sunt, in bellicis autem rebus obeundis administrandisq; prouincijs, aut regnis, exercitam, refferre non possum, quod hanc molem paterna sustineret prouidentia. Interim uero in Aula patris educatus, illud etiam magnum sui specimen præbuit, ut prompti & arguti ingenij laudem maximam refferret, ualde enim Carolus Quintus Auus paternus, uir, & summæ uirtutis, & maximi inditij, eius ingenio, delectabatur, certiorq; sæpißime fieri optabat, quid ille ea ætate dixisset, fecissetq; adeo, ut quàmuis remotißimis in regionibus degeret, scriberentur tamen ad eum ea de re frequentißime litteræ; Sexcenta refferri possent, eius dicta, salsa, arguta, laconica breuitate, sed significantia, quæ non præmeditatus, sed apte, apposite, repente protulit, magna cum omnium qui aderant admiratione, & quoniam, diuino quodam ingenio præditus, illud uerißimum esse cognoscebat, quòd a sapientibus traditum est, Nihil tam necessarium esse quàm scire, hancq; sapientiam, ante rerum usum, nulla facilius uia acquiri, quam ex sollicita & frequenti rerum inuestigatione, huic rei maxime operam dabat, ut si quis illum exterus, aut peregrinus adijsset, diligentißime de rebus omnibus eum interrogaret, nec prius dimitebat, quàm eius ingenium, genus, uitam, patriæ mores, causam aduentus, quid quæreret, quo progredi cogitasset, diligentißime percunctando, ab eo intellexisset; tantumq;, hac sagaci & laudanda

danda

danda curiositate profecerat, ut ille in Hispanijs natus, & numquàm inde egressus, cuiusq; actiones, & gesta, & locorum situs, melius interdum nosset, quàm illi ipsi, qui quottidie illis in locis unde uenerant, uersati fuerant; Meminiq; ego ex summis uiris audisse quod obstupescerent, quoties cum illo congrederentur, animaduerterentq;, tantam in eo externarum rerum atq; hominũ cognitionem; ad eo ut qui Romæ diutissime mansissent, & cũ eo, de ingenijs, moribus hominũ, & situ urbis, sermonẽ habuerant, plus rapone ex eius congressu percepisse, ac didicisse affirmarent, quã ipsi ex longa mora, in ea Ciuitate acta, & diutina, ac frequenti hominum consuetudine intelligere potuissent, hocq; omne ad illius ingenij excellentiam, & numquàm intermissum in percunctando studium, & assiduitatem refferebant.

Hæc sunt, quæ effecerunt, ut nuntiata, hac tam immatura morte, consternata omnis hæc ciuitas, mutandam statim uestem decreuerit, lachrimis, & dolori affatim indulgendum sanxerit. Sed tandem ratio expergisci nos iubet, & uanas esse has querelas, uana suspiria optime docet, precipitq; opportere nos reminisci, quod homines natii sumus, hoc est mortales; hoc certissimum, & ineuitabile fatum esse, ut quandoq; moriamur, sed quo tempore id euenturum sit, non in nostra manu positum esse; sed in Dei Optimi Maximi, uoluntate, unicumq; ac solidissimum in hisce casibus hoc esse solatium, & leuamen, si consideremus hæc diuino nutu fieri; nec noua lege, aut decreto sancita fuisse, sed firmatum iam diu, conclusum, ac stabilitum id esse, hocq; uinculo non nos solos qui ad sumus, astringi, aut ligari, sed quot quot hactenus fuerunt homines, & in futurum erunt; eumq; qui nostrum omnium curam gerit, nosce melius, ac prospicere qua nam id optima ratione fiat, cui parere, & acquiescere conueniat, Cogitareq; nos debere, Carolum Austrium, uti christianum Principem decebat, post sacratissimam Eucharistiam, & sanctissima ecclesiæ sacramenta assumpta, animam uitijs purgatã, & abstersis humanæ uitæ maculis, expiatam, puram, mundamquè Deo reddidisse.

Tibi uero, REX PHILIPPE potentissime, ac religiosissime, quẽ absentem

tem

tem uti presentem alloquor, & cui, ad eam fœlicitatẽ, que humanis in rebus potest cõtingere, nihil deesse uidebatur, ? quã ut Carolum filium, his moribus præditum, ea uitæ institutione ad probitatem & sanctitatem alitum, educatum, regnorum tuorum, ac tuæ uirtutis successorem haberes, sic existimandum erit, nil aliud quàm hanc tibi præreptam gloriam fuisse, Eaq; de causa, non adeo dolendum esse quoniam non hoc tibi præcipuũ contigit, quòd nulli umquàm maximorum Regum euenerit, ut scilicet, filium, annum uigesimum tertium agentem amitteres, cùm id multo grauius, multo calamitosius, existimandum sit, quòd uni sanctissimo uiro Iob, in sacris litteris, euenisse, legimus, ut scilicet, una die, decem ei adempti liberi fuerint, Quid si id euenisset, ? quod, & quandoq; contigisse rerum gestarum scriptores, nos docent ? ut eodem prælio, eodem tempore, & pater & filij ferro interempti prorsus fuerint, unaq; dies & patrem & totam familiam, ac posteritatem simul absumpserit, non ne & funestior, & miserabilior casus hic extitit ? consolatio postremo & illa non mediocris adiungitur, Rex fortissime, & Inuictissime, quòd coniunx tibi data est fæcundissima, & filiæ adhuc superstites, adeo ut fere dubitandum nõ sit, quin (Dijs bene iuuantibus) etiam masculos paritura, & longa liberorum serie domum tuam sit impletura, huicq; tam fœlicissimo Imperio tuo, successores tui similes, subditis tibi deuinctissimis gratissimos sit relictura; quòd in magnis doloribus, & angustijs, in tanta mentis, atq; animi, perturbatione, maximum debet esse solatum, Quamobrem maximæ etiam, per te, per tuos subditos, Deo immortali agendæ sunt gratiæ, quod ita tecum egerit, ut in unius filij ademptione, non te tamen omni posteritate priuauerit, non spem futuræ iobolis penitus abstulerit, eo tempore, quo & uegetum adhuc corpus, & administrationi rerum publicarum, & liberorum procreationi, posit sufficere.

Quæ rationes, Don Gabriel, Dux Illustrißime, & Princeps optime, non tam ex ipsis Ethincorum Philosophorum fontibus haustæ, quàm ex pura christianæ Religionis pietate, assumptæ, aliqua te ex parte consolari, atq; ad pristinam animi tui fortitudinem, reuoca-

uoca-

uocare te debent.

Ad te autem, Antiſtes Reuerendiſſime & Illuſtriſſime Cardinalis Borromæe, mea ſe ſe cõuertit Oratio, ut quemadmodum tu in co muni luctu uerſaris, unaq; nobiſcum dolens mæres utquè inter ſa croſancta hæc miſſæ ſacrificia, uenerabundus, pro Caroli Auſtrij defuncti animæ ſalute, pie ſancteq; precatus es, Ita nunc, te, ego, Rogem, obteſterq; neceſſe eſt, ut Deũ, Optimum, Maximum, pro Inuictiſſimi Regis incolumitate, pro fortunatiſſimo eius Imperio, nobiſcum rogare, precari, orare uelis, ut ei aduerſus immaniſſimum Turcarũ Tyrannũ, cæteroſq; chriſtianæ fidei hoſtes, quas quottidie meditatur, glorioſas, atq; inſignes uictorias, & fœliciſſimos ſucceſſus largiatur, Pijſq; noſtris, ac ſupplicibus precibus, adiungere, ut eundem Philippum, ſua benignitate, diu, terris, ſaluum, & ſoſpitem concedat, ut ille, ea qua pergit iuſtitia, populos quiete regere, ac moderari, ualeat, illiquè ſecura pace, ac trãquilitate, perfrui, quàm longiſſime poſſint.

Idem a te Vir Ampliſſime, ac Reuerendiſſime Cardinalis Alciate, enixe poſtulamus, ac petimus, ut eo animi candore, ea ſinceritate, ac pietate, qua hæc diuina miſteria ſoles tractare, hoc etiã munus præſtare, atq; implere, hoc pijſſimo perfungi uelis offitio.

D I X I.

IIII. IDVS OCTOBRIS M. D. LXVIII.

DE ORATIONE ILL. SENATORIS HIERONYMI MONTII.

BARTHOLAMEI MENABENI; CARMEN.

ATtica dicendi dum gloria floruit, omnium
Ad se se, atq; animos traxit & ora hominum
At postquam aspexit latium Fortuna benigna
Cum sceptro Graijs abstulit Eloquium,
At nunc Insubrum latè facundia regnat,
Magnañimis didicit Regibus apta loqui,
Qui capit ossa, tuum, tumulus nunc Carole nomen,
Contegeret, quamuis Regia sis soboles,
Tam grandi Eloquio ni fleret funus acerbum,
Tam charum, & quæ adimunt tristia fata caput,
Diuina insignis dicendi, Montius Arte,
Consilio præstans, iustitiaq; grauis,
Illustres memorat titulos dum Carole nobis,
Excutit & mæstas ex oculis lacrimas
Æthereum scandas fælix & lætus Olympium
Hic quamuis Cineres nobilis vrna tegat.

AD EVNDEM ILL. MONTIVM

IO. IACOBI GABIANI: EXASTICON.

DIgnus eras laudum tanto precone tuarum,
Princeps, Austriacæ Gloria summa domus
Vt tuus ad Montes ascendit spiritus altos,
Srcipta ubi sunt Calamo nomina sancta graui,
Delectus sic est, ex oratoribus, unus,
Qui sanctum nomen qui iuga montis habet.

AD EVNDEM

MARCI ANTONII BEBVLCI.

LVX erat alta, super furuæ Venere Tenebræ,
In Populo in q; omni non erat Vrbe salus

Mæror

Mæror ubiq; subit, Flet sexus uterq; salutem
Ecce repentina dat Deus ipse manu,
Montius occurrit fulsitq; in monte lucerna,
Dedersit lacrimas reddidit illa diem.

AD EVNDEM

OCTAVIANI VIGNATI LAVDENSIS.

D *Icere quis poterat pro tanto Principe, laudes?*
Inuictiq; animi iuuenem, florentibus annis,
Magnorum Regum sobolem, toto orbe potentem?
Et mortem patribus duram; populisq; timorem.
Incussum, Tantamq; humeris assumere molem?
Nemo equidem, nisi tu, ceu mons Atlanticus, adstans,
Cuncta uidens, Mauro ad Gangem; Geminosq; Triones,
Australem ue plagam, stellisq; ardentibus Axem,
Inde daturus opem pro tali uulnere acerbo,
Surgere, Tu ex aliis potuisti; a sede Senatus
Excelsi Insubriæ, crassos, summosq; Catones
Arpiniq; potens currus superare solutos,
Eloquio maiore, tuo de Monte fluenti;
Et Mæstos solari animos; Rapidosq; dolores
Heronum, & Populi curas mulcere latentes;
Magnanimiq; Ducis lacrimas sibi sistere obortas
Postquàm Rex pater, Europæ pacator, & Hostium
Terror, adest, spes, Alta uirens, uictorq; superstes.

EIVSDEM MARCI ANTONII

BEBVLCI IVRECONSVLTI.

D *Icite Pierides, cur flentem, tempus in unum*
Insubriam, & totam cernimus Italiam,
Hesperiam q; omnem, Gallum, Dacum q;, Getham q;
Et flere extremos sensimus Antipodas,
Et mea luxato prodit pede, musa, timet q;:
Vix gressum claudis sistere carminibus,

Letitia

Letitia in lachrymas uersa est, pax, gratia, uultus
Vertit ad ingratæ limina tristitiæ,
Omnis abit nobis solitus decor, omne fatiscit
In silices, aurum nobile, puluereos,
Opposuit q; manum fronti matrona, profundis
Humida conuertens sidera, sideribus,
Atria caligant cælestia, depluit imber,
Sol phaetonteas liquitur in lachrymas,
Fletibus ancipites inflarunt flumina ripas
Quas Rex nec totus continet Eridanus,
Indoluere Duces nostris in collibus, & qui
Longinqua imperium sub regione tenent,
Rura, Pagi, Turres, Arces, uel castra, uel urbes,
Oppida uel feudis subdita nobilibus,
Transmissere suos, de finibus, Oratores,
Qui celebrent Domini, Regia Iusta, loco
Omnia sunt funesta, ostentant omnia luctum,
Pallidus hic sedem, terror, & horror habet,
Pectora quisq;, manu, sua percutit, induit atras
Prolixiores, sexus uterq;, togas,
Ipse Gubernator tam sceuo uulnere pectus
Sancius, & lucem, uitat, & ora hominum,
Atq; Gubernaculi cura sceptroq; relictis
Mærentes tristis pergit ad exequias
Legis ut est author, nunc it sine lege Senatus
Nec sedet aurato splendidus in solio,
Publica dispersis flet Præfectura magistris,
Clauditur attonitis, Curia, iudicibus,
Assiduos Prætor non excipit aure clientes,
Pellit ab audaces, limine, causidicos,
Sexaginta suo Ciues cum Præside, ducunt
Regia bis sæni funera Municipes,
Centum Doctores, noster Pius, auspicibus Dijs,
Quos Comites, Equites, Maximus, instituit

Deplo-

Deplorata ſimul ueniunt ad buſta, Togatis
Conuenit, Ah quantum nunc toga pulla uiris
Et medicos Toga nigra tegit, fatalia poſtq̃
Tollere penſa ſua non ualuere manu,
Succeſſor Pius exiluit de ſede, duosq;
Purpureos Roma miſsit ab vrbe Patres,
Ferales adolent ignes ſine murice, ut illo
Vix ruber eſſe duos de grege monſtret apex,
Et ſacer Auguſta diſcedens Cæſar ab aula,
In conſanguineo ſtipite, funus habet,
Offitium noſter iubet exequiale, Philippus,
Regia nec Regem continet ipſa ſuum,
Pro ſceptro cineres, pro maieſtate ſepulcrum,
Nec, patris, in nati, funere nomen habet,
Nigra coronantur triplici, laquearia, cæra
Nigrior accenſo lucet in igne dies,
Ipſe ſepulcrales, genitor Rex, ſiſtit ad aras,
Ecce iacet patrios, Carolus, ante pedes
Nomen Aui, magniq; patris tulit, acta ferentem
Fortia, in inſtanti Mors properata die,
Dum mortalis erat iuuenem cito perculit, unq̃
Si non nunc, dubium, ne moreretur, erat,
Surripuere illi quærendos fata triumphos,
A populis illum ſurripuere ſuis,
Hei mihi, quid facitis ſolo uiolaſtis in ictu
Improba, cum noſtro, nos quoq;, fata Duce,
Nec iuuenem tantum nec facta illuſtria, noſtras
Si uos neſcitis, diripuiſtis opes
Ille repentino migrauit ad æthera ſaltu,
Nos hic in ſtatu deteriore ſumus,
Rebus ut humanis exceſsit Carolus, illo
Quo nobis nunq̃, Cæſare, maius erit,
Nominis hæredem rapiunt ſic fata Nepotem
Quo nil ſperandum, Principe, maius erat,

Carolus

Carolus in titulo est, & eodem Carolus alter,
Dissimili, hos inter, sorte, Philippus adest,
Sorte duo meliore cubant, humus ima, sepultos
Sensus abest) ultra mente dolere uetat,
Vita sed asperior, sed amarior, ista, doleres
Sensus adest) alta figere mente solet,
Sic ideo quod uita homini damnosior, unam
Nascendi tantum, fata dedere, uiam,
At secus est in morte, magis, mors digna fauore est,
Quisque Necis species, undique, mille uidet
Deploranda igitur si sunt ea funera, non est
Desperanda breuis spes que fides que more
Inuida Parca patris titulum tulit, inde propinquam
Spem sobolis nunquam diminuisse potest,
Sic inter Proceres, stans altior ipse Senator
Montius, augurio prosperiore monet,
Spiritus in nostras sed quis percrebuit aures
Non pater est, inquit, sed pater esse potest
Indue Rex, ideo, uultus inuicte serenos,
Cuncta serenari iam tua Regna uides,
Quis scit an in præsens coalescat masculus, huius
Iam uideo fati præscia signa boni,
Carolus in que sinu reptet uel rideat infans,
Qui ualeat Regi, tertius esse, suo
Quo crescente Pater, Regi dignetur alumno,
Sit pariter Regi dignus & ille patre,
Qui ue Vgonigenas Romani nominis hostes,
In laqueos, ipsi quos posuere, trahat
Principe quo, Duce quo, quo Remige, quo ue magistor
Nauiget in portus naufraga Cimba suos,
Et iubeant populis fælicia tempora, Mars, Mors,
Exulet, & tandem parta sit alta quies,

AD

AD EVNDEM MONTIVM

IO. BAPTISTAE CERRONETTI.

CArolus (heu perijt) proles dilecta PHILIPPI,
Debita cui fuerant Regia sceptra patris,
Spes Patri dempta est, cecidit Flos ipse Iuuentæ,
Hæc populos angit cura, dolorq; premit,
Stelligera ætherei formosaq; machina Cæli
In qua, atq; unde salus, uitaq; christicolis,
Est geminis firmata Polis, qua, Hic, parte cadit Sol
Dat iura, Æois gentibus ILLE dabit,
Cæsarei sunt hy fœlicia numina Reges,
AVSTRIA, Regum altrix, quos tulit alma domus,
Hic stirpem magno Regi Lugemus ademptam,
Semidei hic geminus Principis interitum,
Regius hunc Hæros GABRIEL defletq; SENATVS,
Pullaii hunc Proceres, purpureiq; Patres,
Qui postq̃ merito cumularunt flore sepulchrum,
Inferijs, tristes, terq; dedere Vale,
Tu patriæ Immortale decus Cultißime MONTI
Te digna, & tanto Principe, uissus agis,
Hesperij ille hæres Solij, quem morte peremptum
Flemus, Parca ferox, quem obstulit ante diem,
Diuorum in numerum, cælesti est sede, receptus,
Virtutum, at terras, Fama secunda uolat,
Debetur sed magna tuis hæc Gloria scriptis,
Quod rerum dominos Indigetare queant,

